



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Status centenarij quinti post millesimum. Capvt XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

gnus pietatis causa dictus, diaconus Traiectensem diocesim prædicatione sua illustravit. Is Daventriæ, nè pretiosus sanctorum scriptorum thesaurus deperiret, bonæ voluntatis fratres collegit: qui describendis patrum laboribus iugiter deservirent. Inter ceteros verò discipulos Florentium habuit, insigni pietate præclarum, qui magistri monitu, Regularium Canonorum monasterium in *Windesheim* perfecit: ex quo innumera deinde per varia loca religiosorum patrum multitudo profluxit. Obijt Gerardus anno huius sæculi octuagesimo quarto. Habuit tunc Lutemburgensis patria sanctum Petrum: qui multæ sanctitatis iuuenis ante ætatem episcopus ordinatus est & Cardinalis. Raptus est autem ab hoc sæculo anno octuagesimo septimo: & Auenione depositus innumeris miraculis claret. Delphis religiosa virgo Gertrudis ab *Oosten* in Beginarum curia vitam Deo dignam ducens, anno quinquagesimo octavo felici fine quieuit. Instituta est hoc sæculo Amsterodami, & paullo post Bruxellæ, venerabilis Sacramenti memoria: quod utrobique insigni miraculo se præbuit gloriosum. Historiæ eius rei notantur 16. Martij, & Dominica post 13. Iulij.

*Status centenarij quinti post millesimum.*

C A P V T XXIX.

**P**roximus deinde centenarius in Flandris habuit sanctam Coletam, Gandavi sanctè viventem: Dionysium Carthusianum, apud Ruræmondenses multis reuelationibus clarum: qui obijt anno eius septuagesimo primo. Leduam virginem Schidami apud Batauos, longo in mem-

bris suis martyrio, velut aurum in fornace excoctam. Aliosque non paucos, quorum vel memoriam sequens hoc sæculum oblitteravit, vel reliquias abiecit.

*Noſtri ſæculi memoria.*

C A P. XXX. & ultimum.

**A**D noſtra tandem hæc tempora veniamus, quæ chroni- cæ huius narrationis ſunt finis: Anno 1566. exordium accepit quinta Belgij per Gueſios vaſtatio, quæ anno potiffimum 72. tantas diuerſis ex cauſſis accepit vires, vt arbitrer vnico illo anno plures Belgas occubiſſe martyrio, quàm omnibus reliquis annis, qui à condito orbe anteceſſerunt. Vidimus tunc ſumma pericula à Francia Hugonotis, & aliunde. Immenſæ autem Dei miſericordiæ aſcribimus, quod nondum planè conſumpti ſumus: neque dum inuentis nuper gentibus per Belgas etiam quosdam ſanctiſſimos viros fides prædicatur, domi omnino perierit. Sed meum non eſt triſtiſſimam horum annorum hiftoriam texere: quod poſteritas faciet tanto ſyncerius quanto ſemotior erit & à prauis affectibus, & à periculis indignationum. De glorioſis interim ſub hac perſecutione martyribus diuerſi diuerſos meditantur libellos, ſed qui propter furorem Gueſiorum nondum in lucem prodeunt. Breui tamen ſæuiſſimæ & barbaricæ Gueſiorum immanitatis finem fore ſperamus. Sed id notius eſt prouidentia alciſſimi: cuius miſericordiæ afflictiſſimum Belgiûm noſtrum commenda-

damus. INDEX  
F I N I S.